CIMELIA
Qu 5100

V
B J
C
5100
CIMELIA

Cim. Qu. 5100

DVBLET

BIBLIOTEKA
KÓRNICKA

COMMENTARII DE TVMVLTV GEDANENSI.

MARIAEBVRGI.
Anno Christi. M.D.LXXVII.
CVM Priuilegio Regio.

Bibl. Jag.

DVBLET
BIBL. KÓRNICKIEJ

COMMENTARIORVM DE TVMVLTV GEDANENSI. LIB. I.

PERFVNCTIS omnibus, quæ ad coronationem & ad prendenda regni gubernacula, ad nuptias etiam cum Anna regii Iagellonidarũ sanguinis virgine superstite coniungendas, rite atq; legitime, de more pertinebant, STEPHANVS REX, vt reliquas etiam regni sui partes lustraret, & vel dubios, vel à se tunc etiam auersos quorundam animos, in suam fidem perduceret, perductosq; confirmaret, Cracouia Varsouiam cõtendit. Diuisis enim cum apertissimo regni periculo, ciuium studiis superiori bipartita electione, nondum vulnus illud Reipub. ita coaluerat, vt distractæ hominum voluntates ad vnius professionem regis adducerentur; qua vna re omnis Reipublicæ tranquillitas videbatur contineri. Ad REgem igitur Varsouiam veniunt, pri-

... Jag.

mum Lituani proceres aliquot, qui, concordibus omnium ordinum atq; hominum magni Ducatus illius sententiis, Maximiliani Austrii, moderatissimi Romanor. Imperatoris electionem tueri hucusq; videbantur. Hi potestate à reliquis omnibus popularibus accepta, & ad Regem allata, in Regis nomen iurant, & solenne de more fidei sacramentum profitentur. Eodem inter cetera adferuntur quoq; litteræ ab ordinibus terrarum Prussiæ ad Regem scriptæ: ex quibus apparebat, variam inter ipsos quoque fuisse de regno eius sententiam: sed in illa tamen varietate, plurium animos eò inclinare, imperium vt eius agnoscerent, seq; adeò sub eius potestatem subiectos esse, omni ratione testarentur. Rogabant igitur, vt, quoniam conuentu terrarum illarum indigerent, ad constituendas publicas rerum suarum rationes, cum aliis rebus quibusdam, tum ipsa illa quoq; de regno ipsius dissensione, nonnihil perturbatas, conuentum hunc bona cum maiestatis eius venia agere, eoq; ad salutaria ineunda consilia vti ipsis interea liceret. Quod quidem Rex non modò ipsis non negauit, sed etiam demonstrandæ vberioris beneuolentiæ gratia, se ipsum non multo pòst in terris illis repræsentaturum

rum esse ostendit. Iam tum enim in animo constitutum habebat, maxima regni comitia in Prussia indicere, eoq; omnes omnium prouinciarum ordines aduocare. Agitur suo die conuentus terrarum illarum: vbi communibus omnium suffragiis, legati nobilitatis & ciuitatum lecti sunt, qui vnà cum consiliariis terrarum illarum ad Regem profecti, subiectionē verbis conceptam solennibus Regi profiterentur, ab eoq; vicissim conseruandarum legum priuilegiorūq; suorum sponsionem paciscerentur. Interea Rege in Prussiam, vt constituerat, contendente, & ipsis iam quasi Prussiæ foribus imminente, Alb. Fridericus Marchio Brandeburgensis, qui secundus post Albertum patrem, clarissimum ac fortissimum virum, beneficio Regū Poloniæ, Ducatum in Prussia obtinebat, omnium rerum copiis affluentibus abunde instructum: is litteras quoq; ad Regem Brestam mittit, fidemq; suam contestatus, maiestatem eius agnoscere se, &, sicut debuit, colere ostendit. Tum Rex Thorunium peruenit, obuiam ei progressis ipsis terrarum Prussiæ ordinibus, qui ibi antè aliquanto, aduentum eius operiebantur. Qvo quidem in loco vbi sacramentum de more, suæ erga Regem fidei professi essent,

ſent, facile conſeruandorum iurium ſuorum ſpó-ſionem & obligationem à Rege retulerunt. Vna ex omnibus Gedanenſium vrbs ab iis eiuſmodi peragendis rebus abfuit: quæ cùm conuentum illum communem, vnà cum aliis Pruſsiæ ordinibus paulò antè obiuiſset, ibiq; legatos ad Regem cómunes, communi ſuffragio decreuiſset, non modò ſuos ipſa, vt conuenerat, non miſit, verùm etiam, quod iam pridem cogitatum, &, vt facilè ex eo & aliis quibuſdam indiciis iam tú apparebat, deliberatum ſecum habuerat, id fecit, ſeq; & à regno ipſo, & ab ipſius denique, in qua ſita eſt, Pruſsiæ conſilio non obſcurè ſeparauit. Vrbem Gedanenſes Gedanum incolũt, à principibus & Tetrarchis Poloniæ ad oſtium Iſtulæ poſitam: quà is totam Poloniam perer-rans, & aliquot interim aliis auctus fluminibus, in mare Balticum ſe exonerat, ad ſinum Venedicum ipſum, qui ferè pars eſt ſinus Codani, à quo Gedanum videtur eſſe appellatum. Ea vrbs, ſicuti prouincia ipſa Pruſsiæ, quæ illam continet, Polonico ſemper cenſebatur imperio: niſi quòd Crucifericus Marianorũ ordo, qui olim ſimulatione auxiliorum Polonis ipſis aduerſus gentes barbaras pactorum atq; promiſ-ſorum

ſorũ, in has regiones accitus, & in locorum certorum poſſeſsionem, ſũma Polonorum voluntate miſsus erat, progreſsu temporis, rerum ipſarum aduerſus hoſtes geſtarum ſucceſsibus elatus, dum multa deinde paulatim ipſis quoq; dominis per vim adimere, multa etiam armis ſuis ab eorum hoſtibus vindicata, ſibi quo iure qua iniuria vſurpare cœpiſset, Gedanum quoque ipſum, per ſimulationẽ auxilii aduerſus vicinos nonnullos interceptum, & inde dominationi ſuæ adiunctum, ſeruitio per non exiguum temporis interuallum premebat. Vt verò deinceps idem ille ordo, prouincialibus paſsim hominibus omnis generis iniuriis contumelioſiſsimè diuexandis, dominiſq; adeò ipſis Poloniæ regibus indigniſsimè tractandis, eò redactus eſset, vt ex prouincia ipſa, ſingulari virtute Polonorum exterminaretur, tum ipſum quoque Gedanum, cum ceteris vnà vrbibus, oppidiſq; Pruſsiæ, in fidem reuenit Polonorũ: quo quidem ex tempore, eorum ſemper ditione tenebat. Atq; in illo eiuſmodi, quæ fuit antiquitus Polonis regibus cum hoc Mariano Cruciferorum ordine contentione, de Pruſsiæ dominatu, quòd Gedanenſiũ illa ciuitas partes regias ſecuta fuiſse videretur,

deretur, fuit eo nomine multis & magnis victorum Regum beneficiis aucta atque honestata. Nam & priuilegiis eiusmodi ornata est, vt nullis externarum, & suarum æqualiũ ciuitatum ornamentis meritò posset inuidere : & cum vrbes haberet duas æmulas, Thorunium & Elbingam, à quibus tum ipsa rebus omnibus vincebatur, factum est singulari Regũ benignitate, emporio ipso Thorunensi Gedanũ translato ibiq; constituto, vt vtrasque ciuitates cito pòst omnibus rebus ipsa vinceret: vno excepto loco, quẽ in conciliis publicis, postremum tamen nunc etiam, vetusto more obtinet. In reliquo quidem, eò potentiæ, ex illis non tantum ciuitatum vicinarum, sed etiam remotißimarum quarumque nationũ commerciis, adoleuit, vt non modò æmulas vrbes vinceret, non modò externis non inuideret, sed etiam suis iam ipsa, vt fit, viribus laboraret, & sicut corpora prævalida, suopte bono malum sibi strueret ac conciliaret. Prima his mali labes extitit, cum variam deinde erga Reges ipsos liberatores suos mentem gerere, & nouis quasi iterum rebus studere cœpißent. In vrbe enim illa maritima, in quam ex aßiduo confluxu hospitum & conuenarum, noua quotidie infun-

deretur

deretur peregrinitas, sic vt interdum veterum ciuium progenies vix appareret, facile obliuio beneficiorum regiorum obrepebat: interim autem & fastus, & licentia, & rerum suarum fastidium, (quæ eorũ ferè sunt ꝓpria, qui libenter mutant sedes) tum deinde externorum morũ amor, & omnino nouarum rerum studium succrescebat. Quæ quidem etiam vniuersa, siue mobilitate animi, mobilitati fluctuum maris, ad quod positam vrbem haberent, persimili, siue naturali etiam odio, à Polonico imperio abhorrente, siue adeò certo quodam consilio, vel libertatis obtinendæ, vel subiectionis commutandæ, seu deniq; ipso etiam tractu temporis, ita in eorum animis inualescebant, vt aliquoties, ad comprimenda initia tumultuum illorum futurorum, Reges ipsos venire eò, virgis armatos & securibus, necesse fuerit. Quod ipsũ tamen audaciam duntaxat eorum frangere ad tempus potuit, animos rebellionis auidos in perpetuũ his eripere non potuit, quo minus per omnem occasionem magis etiam se proderent, quàm rebus eorum expediret. Ad extremum, cum malum illud, quò magis quasi in fomite lateret, hoc magis atq; magis inualescere in ciuitate videretur, nouißimè ad eam or-

dinan-

dinandam missi fuere ante annos octo, Sigismũdi Augusti Regis mandato V. viri Senatores Stanisl. Carncouius Episcopus Vladislauieñ, Ioan. Siracouius Palatinus Lenciticñ. ex Castellanis aũt Ioan. Costca Stembergius Castel. Gedaneñ, nũc Palatinus Sendomirieñ. Nicol. Firleius Dambrouicius, Vislicieñ. & Stanisl. Visocius Bechouieñ. Castellani: & missi quidem cum summa potestate. His ad vrbem aduentantibus, aditus initio intra mœnia à magistratu est negatus: quòd dicerent se delegato Regum imperio parere non consueuisse, neq; adeò obligatos esse. deinceps tamen, grauissima Regia auctoritate interposita, intra vrbem admissi cum essent, vrbem quidem ipsam, tum querelis priuatorum exaudiendis, tum legibus nõnullis ferendis, quoad fieri potuit ordinauerunt, animos tamen obstinatos quorundam ad officium adducere non potuerunt. Ac tulerat quidem Sigism. Augustus istam non admissorum V. virorum peruicaciam grauius ferè quàm consuesset cetera: ex quo & euocationes eorum ad tribunal regium maxime horribiles, & causæ dictiones atrocissimæ, & detẽtiones in custodia ipsis hactenus inexpertæ, & deniq; mulctæ pecuniariæ nõ leuissi-

mæ

mæ fuerant consecutæ. Sed vt erat Rex ille summa quadam lenitate atq; facilitate prædiṫus, ita causa hæc à summa acerbitate paulatim ad mitiorem conditionem delapsa, in eadem illa conditione constitit, vsq; dum aliquanto pòst Rex ille benignissimus fato suo functus esset. Interim tamen illi vrbem, vallo fossa munire, tormentis & pulueribus & globis instruere, milite armare, omne tributum, interregni tempore, Reipub. negare, nihil prope imperati facere, & pleraq; eiusmodi iam tunc meditari, quæ non optimos eorum animos, nec rebus præsentibus contentos, planè arguebant. Hoc igitur tum etiam vulnus STEphani Regis temporibus hærebat in venis ac visceribus ciuitatis illius. Quod quidem illi tempus, ad explicanda perniciosa consilia, rati se adeptos esse quammaximè opportunum, auctis in immensum eorum opibus, & Regibus ipsis Iagelloniis vita functis, suos, vt dixi, ad Regem mittere legatos, cum ceteri populares ad eum mitterent, recusarunt. Rex, qui vulnera Reipub. non exulcerare, sed curare instituerat, seq; in iis curandis indulgentem potius medicum præstare, quàm durum & asperum studebat; quos ipsi ad eum Gedanenses mit-

ſes mittere legatos recuſarant, ipſe ad eos vltro mittit, ex præcipuis Senatoribus duos delectos viros, Petrum Coſtcam Culmenſem Epiſcopū, qui inter diſertos cenſebatur, & Ioannem Sluſeuium Breſtenſem Palatinum, rerum Pruſsicarū inprimis peritum, qui eos officii ac fidei erga Regem admonerent, & iusiurandum ſubiectionis, quod reliqui Pruſsiæ ordines iam dediſsent, regio nomine ab ipſis requirerent; in ipſo quidē Rege nihil deſideratum iri oſtenderent, quod ad libertates & priuilegia ipſorū conſeruanda pertineret. Quæ quidem perhumana Regis legatio, quomodo ab illis excepta fuerit, id verò cum eorum ipſorum reſponſum, tum multo etiam magis res ipſa declarauit. Pro eo enim quòd à magni nominis Senatoribus, legatis regiis, ſui erga Regem officii fruſtra admonebantur, Regem ipſi vltro officii admonebant, & vt prior iusiurandum illis daret, priuatū, & ab aliis hominū ordinibus, quibus omnibus multo antè iam datum eſset, ſeparatum, hoc autem eſt, elatis ſuis animis appoſitum, regi verò contumelioſum, prope ferociter contendebant. Ante omnia autem, onera etiam quædam ciuitatis, nec regi ipſi ſatis nota, nec vulgo ab omnibus pro oneribus habi-

ta,

ta, tolli de plano, vt vocant, & cauſa etiam incognita aboleri perurgebant. Qvæ quidem omnia, tanta præterea cum verborum licentia atq; inſolentia faciebant, vt qui Senatores, ad eos legati miſsi erant, homines ſingulari modeſtia præditi, reſponſum ipſum, quod iam tum ſcripto erat compræhenſum, aut mutari prorſus flagitarent, aut certè ad regem recipere refugerent. Atq; hæ quidem verborum erant contumeliæ, illæ rerum: quòd legatorum ipſorum regiorum comites, viros nobilibus ortos familiis, ita acceperunt, vt ab eis barbaricum prorſus in morem violarentur. Reſponſum quidem ipſorum cùm ad aliquam optatæ modeſtiæ ſignificationem mutatum ab ipſis non eſset, à legatis regiis neglectum, poſtea ab ipſis illis ad Regem miſsum fuit. Interim Rex Mariæburgum excurrit, arcem viſurus, fama munitionum & propugnaculorum, etiam inter exteros claram & illuſtrem. Ibi Gedanenſis legationis ſuæ euentum, ex legatis ipſis dum cognoſcit, videt, priorem illam, de qua dixi, ordinum Pruſsiæ contumeliam, cū paulo antè à Gedanenſibus deſerebantur, & ad ſe absq; internunciis ipſorum dimittebantur, noua etiam ſua indignitate eſse cumulatam: &

B v tamen,

tamen, quòd cum subditis rem sibi esse cerneret, committendum non putauit, vt aliquid per potentiam magis, quàm per leges fecisse iudicaretur. Ferè fit enim in omni contentione, vt qui inferior atq; adeò imbecillior est, is cum maximè in potentiorẽ iniuriosus existat, accepisse tamen non intulisse iniuriam videatur. Reos igitur ante omnia citari iubet. Illi verò interim, qui scelus pridem meditatum intra vrbem continere iam non posse videbantur, militem, quem ex externis gentibus collectum in vrbe hactenus aluerant, extra vrbem, bombardis instructum maioribus emittũt, & prope oppidũ Dersouiã, quò Regem Mariæburgo redeuntem deflexurum esse nouerant, collocant, loco propter paludes opportuno, & fossa præterea, & aggere ac flumine egregiè communito. Quibus rebus peractis, libellum ipsum citatorium duabus epistolis, altera ad Regem, altera ad Senatum, qui adesset, inscripta, eludunt: portas vrbis claudunt, tormenta & præsidia per muros disponunt, ad exteras nationes, legationes plerasque dimittunt, nihil non faciunt, ex qua re modò bellum eos nefarium meditari apparere posse videretur. Earum epistolarum illa ferè summa fuit. Se non

non modò nihil æqui à Rege impetrare, sed etiam primum summa verborum ignominia, læsæ maiestatis ad tribunal ipsius regium euocari, præter meritum quidem suum, qui fidem, quam à maioribus accepissent, magno studio hactenus coluerint: deinde & hostilibus quidem regiorum militum irruptionibus villas suas infestari, & per vim eorum armatam, ciuitatem ipsam ad conditiones intolerabiles adigi. Quæ quidem non leuium malorum initia, ne in maius etiam malum erumpant denique, magnopere verendum esse. Neq; armis opus esse aduersus eos, qui parere, salua libertate, parati sint: neq; si sit, stabilius tamen imperium esse posse quod vi, quàm id quod beneuolentia constituatur. Et quoniam maiestatis accusari iniurati non possent, orare, vt & citatio eiusmodi aboleatur, & cum suæ ciuitatis, tum regni totius incolumitati melius consulatur. Eæ Gedanensium epistolæ serius omninò adueniunt, iam tum videlicet contumacibus ipsis, ob id quòd citati non responderent, appellatis. Quo quidem tempore etsi iure ipso illius iam tum grauissimi criminis, cuius ipsis, si se stitissent, causa in iudicio dicenda fuit,

condemnari poterant, nec dum tamen illorum contumacia, Regis aduersus eos benignitatem atq; clementiam claudere potuit, quo minus tūc etiam, auctore maximè Senatu, diem atrocissimi illius ferundi decreti comperendinaret, & spacium ipsis, erroris, siue ea culpa sit, emendandi concederet, Ipse ad litteras eorum non respondet, Senatoribus vt facerent permittit. Senatus potestate à Rege accepta, respondet copiosè, non magis ad has quidem eiusmodi litteras, quàm ad præcipua quædam capita eorum, quæ responso illorum superiore continebantur. In quibus illud erat, maiestatem Regis, quam omnes iam tum prouinciarum ac ciuitatum, non solum ordines, sed etiam homines colerent, non prius se posse agnoscere, quàm & iusiurandum ipsis, de iuribus ac priuilegiis eorum sartis ac tectis conseruandis, à Rege daretur; & ante omnia, pax quoq; & amicitia, quæ cum Cæsare Rom. & reliquis eius consortibus, contentione electionis debilitata videbatur, per Regem firmaretur: ipsorumq;, vt dicebant, securitati ab illa parte prospiceretur: & deniq; acta quædam superiorum temporum publica, rescinderentur, quibus se ciuitas supra modum grauari ostendebat,

debat. Quibus rebus ipsis, nonnulla etiam alia aspergebantur. Vnum, de Sigismundi & Augusti Regum iuramentis; quorum speciem ad ea, quæ ipsi illo ipso tempore in repub. aduersus Regem molirentur, maximè idoneam esse videri volebant, nec se ad præstandum Regi fidelitatis iuramentum, nisi Rege prius ipso in eorum priuilegia iureiurando adacto, cogi posse iactabant; ad idq; adeò comprobandum, verba ipsa Sigismundani priuilegii translatitia in rem quasi præsentem aduocabant. Alterum quòd aspergebatur, erat, de insigni quadam, vt ipsi existimabant, repugnantia priuilegiorum vrbis suæ à iure Polonorum & Lituanorum communi: cuius iuris communis mentionem in formula iurisiurandi regii appositam, suspectam se habere profitebantur. Cum enim Regem, confirmandis iureiurando, vt moris est, priuilegiis singulorum, seu hominum, seu ordinū, seu ciuitatum, iuris etiam communis rationibus prouidere necesse esset, ne qua videlicet, obtentu eiusmodi priuilegiorum, iuri ipsi communi, vt ferè fit, aduersorum atq; contrariorum, ius ipsum publicum sublatum in vniuersum atque abrogatum esse videretur, qua vna pernicie nulla capi

la capitalior posset inueniri: vereri se ostendebant Gedanenses, ne mentione iuris communis Polonorum & Lituanorum, in iusiurandum regium illata, hoc ipso priuilegiis, tum vniuersè Prussorum, tum priuatim Gedanensium ipsorū, quæ vtraq;, vt ipsi putabant, cum Polonorum Lituanorumq; iuribus commune nihil haberent, obrogatum esse videatur. Ad hæc igitur & ad illa, quæ dixi, omnia, respondet ad hunc modum Senatus, vt dixi, copiosè. Quæ Gedanenses agerent, quæ cogitarent, quæ molirentur, quæ spectarent denique, ea nec maximam in se æquitatis partem continere, & certè, cum à vetere ciuitatis illius erga regnum & Reges Poloniæ studio atq; fide, iuribusque etiam & institutis communis reipub. tum verò à rationibus deniq; & commodis eorum propriis, esse quammaximè aliena: nec re solum ciuitati ipsi eorum obesse, sed exemplo quoq;, ad pleraq; alia etiam externorum imperia dimanaturo, nocere. Pulchrè eos sapere, perbelle etiam ratiocinari, & ciuitatis suæ existimationem tueri, sibi videri, si Regi ipsi debitum fidelitatis iusiurandum à se ex officio suo exposcenti, hæc potissimum eludendi gratia opponant atq; obiiciant. Vnum, vt iu-

vt iuramentum, quod tam anxiè exigat, det prior ipse ciuitati, quàm idem repræsentari sibi à ciuitate ipsa postulet. Alterum, vt sopitis cum Cæsare & extinctis electionis controuersiis, pacem prius cum eo eiusq; consortibus constituat, quàm & se Regem Poloniæ certum agnosci, & à regni ciuibus iusiurandū sibi subiectionis dari iubeat. Tertium, vt acta publica superiorum temporum, quibus se miserè pressam esse ciuitas eorum queratur, ante omnia rescindat: & tunc demum ciuitatem omni onere leuatam, omni etiam metu liberam, in fidem recipiat, si ea se libens atq; volens in eius clientelam tradiderit. Pulchra igitur hæc videri: verū quam vim habeāt, etiā atq; etiam considerarēt ipsi. Sibi quidem certe primum omniū periniquum videri, Regis iusiurandum, quod pridem omnibus in vniuersum regni ordinibus datum, ad Prussos verò etiam ipsos æquè pertinere, abunde paulo antè declaratum sit, denuò, ab vna & sola ciuitate, separatim exigi: ea autem præsertim ciuitate, quæ non fœderatorum esset hominum, multo autem minus peregrinorum, sed quæ seipsa earum terrarum, eiusq; regni communione iactet contineri, cui regno, quibusq; terris iusiurandum illud Regis

gis,quod dixi,non ſolum datum iam verbis am=
pliſsimis, ſed etiam ſtudiis omnium ardentiſsi=
mis acceptum eſset. Aduerſari omnino hoc e=
orum incœptum nouũ atq; inſolens,perantiquæ
illi ſponſioni, qua ſe maiores eorum, in ipſis fun=
dati apud eos imperii Polonici initiis, Regi Ca=
ſimiro, eiusq; ſucceſsoribus, & regno ipſi ob=
ſtrinxiſsent: ita & ſe, & omnes ſuos poſteros,
rationes regni Polonici communes ſemper ha=
bituros, vt neq; ſe à regno vnquam auellerent,
neq; ſuas ipſorum rationes à regni rationibus ſe=
pararent, ſed vti membra,ad corporis ipſius cõ=
modum, omnia ſua commoda referrent, & de=
niq; Caſimiro ipſi, Caſimiriq; ſucceſsoribus Re=
gibus Poloniæ perpetuò parerent, eadem pror=
ſus cum ceteris regni incolis fide ac ſubiectione.
Cur igitur hoc tempore membra ſe à corpore i=
pſo ſeparent? cur contra membrorum omnium
tam apertam conſenſionem, eum qui caput to=
tius corporis eſt, pro capite non agnoſcant?
Nam quod inquiunt, Sigismundanum & Au=
guſtanum iusiurandum patrocinari ſibi, vt pro
Rege agnoſcere non debeant, cum qui non an=
tea priuatim ac ſeparatim in ciuitatis eorum pri=
uilegia iurauerit: id verò priuilegio ipſo eorum
Regum

Regum ſcripto faciliimè refelli,quòd Sigismun=
dano quidem ipſo, quod nominatim recitent,
non obſcure de Pruſsiæ terris caueatur,iusiuran=
dũ iis antè dari à Regibus quàm per eosdem exi=
gi oportere: verum cum non addatur, SEPA=
RATIM, ne ipſis quidem terris ſeparatim de=
beri: multo autem minus Gedanenſibus ipſis,qui
in parte modò terrarum ipſarum Pruſsiæ cen=
ſeantur, nec vllam ſui mentionem in ipſo Sigis=
mũdi priuilegio eſse factam poſsint oſtendere.
Auguſtanum verò iusiurandũ quod attineret,
ſatis patere, non tam aut nouum, aut ſeparatũ
iusiurandum illud videri, quàm declarationem
modò quandam eiusmodi, quæ oſtenderet ius=
iurandum ipſius, quod aliàs vniuerſis terris ac
ordinibus regni ab ipſo datum eſset, etiam ad
Pruſsiæ terras ipſas extendi oportere. Atque
eiusmodi quoq; declarationem ab eo Rege, qui
nunc feliciter imperet, Thorunii proximè, ordi=
nibus Pruſsiæ factam eſse, ſumma Regis ipſius
voluntate. Vt iam periculum non ſit, quo ſibi
ſuisq; libertatibus omnes terrarum Pruſsiæ or=
dines ſatis ſuperq; cautum ac prouiſum eſse iu=
dicauerunt, ne eo Gedanenſium, vnius ſcilicet
Pruſsiæ ciuitatis libertati, non ſatis cautum ac

 pro=

prospectũ esse videatur. Latebram igitur quæri, & effugium iurisiurandi pernecessarii, cum expectatio iurisiurandi regii prætẽditur, vt eo ipso interim officium Regi & regno debitum deuitetur. Atque hoc quidem sic habere. Iam illud quoque alterum, temerarium prorsus esse & indignum, quod de pace & amicitia Cæsaris obtenditur: non quasi piaculum vllum sit, amicitiarum mentionem apud eum Regem fieri, qui omnium Christianorum principum amicitias non solum magnifaciat, sed etiam, quantum in se est, magnopere & ex animo appetat: sed quòd absurdissimè omnino fieri videatur, rationes, vt belli, ita etiam pacis & amicitiarum, Regi ipsi præscribi: & præscribi quidem à subditis, & à subditis rebellibus, & ita rebellibus, vt nisi præscriptum suum obseruari ad vnguem videant, maiestatem Regis sui agnoscere nulla ratione velle videantur. Postremò actorum etiam publicorum, quæ ciuitati ipsorum minimè ferenda videantur, rescindendorum, prorsus esse mentionem importunam, non modò ipsis iureiurando fidelitatis necdum adactis, sed etiam ne causa quidem de iis rebus cognita, quibus se ipsi grauatos esse, verbo quiritẽtur magis quàm re ipsa

re ipsa doceant: causas autem, nisi iuratorum, & sibi certa lege subiectorum hominum cognosci à Rege non posse. Nec verò importunam tantum eam mentionem, sed & superbam planè & seditiosam videri. Velle enim vno verbo irrita facere, quæ antea non modò nullo argumento improbaris, sed etiam sponte tua susceperis, superbum & fastuosum esse: ea autem quæ nunquam à Rege aut expetieris, aut requisieris, quasi denegata, in Regis ipsius inuidiam adducere, sanè perquàm seditiosum esse. Quam enim vnquam legationem, iam inde à Regis coronatione ipsa, ad Regem missam esse à Gedanensibus, eorum onerum depellendorum causa? Quibus potius oneribus non pressum, quibusue iniuriis non affectum ab ipsis Regem ipsum fuisse per hæc tempora? dum consilia cum externis principibus, non modò iniussu regiæ maiestatis, sed contra ipsam regiam maiestatem communicarentur, exercitus ex milite externo compararentur, intra vrbem inducerentur, extra emitterentur, hostiles Moscorum legati regio prope apparatu exciperentur, regii hostiliter planè tractarentur: portæ vrbis clauderentur, tormenta & præsidia per muros & ꝓpugnacula disponerẽtur, homines

hominesnobiles legatorum regiorum familiares violarentur, multitudo ipsa ciuitatis quieta, & rebus præsentibus contenta, ad coniurationem & res nouas moliendas, per dolum & fraudem solicitaretur. Cum igitur non modestis, nec subditorum conditioni consentaneis rationibus, sed & violentis, & hostilibus, &, quod dicendum esset, subdolis consiliis res gererentur, & cum nulla legitima per id tempus legatio à Gedanensibus ad Regis maiestatem ablegaretur, quæ eum de optimo ipsorum animo, deq; rebus item ceteris, quæ eorum Reipublicæ interessent, sic vti oportuit admonendo, faceret certiorem: ecquemnam esse, qui non videat, quorsũ hæc, quæ nunc per speciem & simulationem quandam obtenduntur, pertineant? Et tamen Regem ipsum, Regem optimum & benignissimũ, quoad maxime licuit, videre se hæc omnia dissimulauisse: & tamen non à pœna iudicium, quod in eiusmodi crimine solet, sed à cognitione, auspicatum fuisse: nec mulctam statim infligi, sed ante omnia, diem ipsis dici iussisse. Quid igitur factum esse? Quid? neminem eorum comparuisse. Quid deinde? Regem ipsum, primum Senatus sui auctoritate, deinde verò etiam litteris ipsorũ

ipsorum permotum, diem horribilis illius ferundi decreti, iterum atq; iterum comperendinauisse. Quid postea? Gedanenses ipsos hostilis animi significationes omnes edidisse. Id adeò neq; negari, neq; vlla etiam ratione defēdi posse. Nam quod dicerent, maiestatem offendisse eos nō videri, qui nondum iureiurando subiectionis interposito maiestatem agnouerint, id quidē imperitè planè dici. Nam, vt omittāt, imminuto per eos iure reip. maiestatē reip. offensam prorsus esse: illud vtique palàm esse, ciues Gedanēses iniuratos non videri, qui superioribus suis, superiorum Regum tempore præstitis iuramentis, non superstitibus tunc solum Poloniæ Regibus, sed etiam eorum posteris, fidem suam solenni illa cerimonia astrinxissent. Illum verò quoq; puerilem quendam metum esse, vereri Gedanenses, in formula iurisiurandi regii, exceptionem factam eorum, quæ aduersus ius commune impetrata fortè esse videantur: quasi ea exceptione palàm & apertè priuilegiis ciuitatis illius obrogetur. Quis enim vnquam de priuato iure leges vllas sciuit, quin idem continuò omne illud exceperit, quicquid fortè aduersus rempub. in legibus illis rogatum sit? cum alioqui legum

 vim

vim omniũ dissolui ac eneruari necesse planè esset. Ne longe abeant, inspicerent Gedanenses ipsi, ipsa illa, quæ tantopere iactant, vetera ciuitatis suæ priuilegia: reperturos sanè, maiorum prudentia, vbique iuri communi abunde cautum in iis & prospectum esse. Cómune autem hoc ius quod ita dicatur, constare planissimè non tam aut Polonorum ipsorum esse, aut Lituanorum ipsorum, quàm vtriusq; populi, imò quàm ipsorum Prussorum quoq;, & omnium deniq; ex æquo nationum & populorum, qui in hanc rempublicam regni coierunt: Prussi quidem iam tum ex eo tempore, cum in sponsione illa Casimiriana, cuius paulo antè mentio est facta, ipsi se apertissimè in ius & titulum, & imperium, & regimen, & potestatem, & sortem, & proprietatem, & corpus, & viscera, & integritatem, & vnionem, & ditionem, & subiectionem, & obedientiam, & fidem regni Poloniæ concessisse, vel potius reuenisse (hæc sunt enim omnia Casimirianæ illius sponsionis verba) profiterentur, Lituani verò promisso quidem suo aliquoties antè, pleno autem iure nuper admodum Lublini ante septennium, rebus omnibus, quæ ad plenissimam vtriusq; gentis vnionem pertinerent, ritè

ritè firmatis atq; constitutis: ita vt ex duobus potétissimis populis vna deinceps vtrisq; communis respub. sub vno Rege constitueretur. Darent igitur sedulò operam Gedanenses, vt reliquorum Poloniæ, Lituaniæ, Russiæ, Masouiæ, ipsius deniq; Prussiæ ordinum studia erga Regem imitati, subiectionem, quam cæteri præstitissent, quamq; ipsi eodem modo debeant, volentes ac lubentes, missis primo quoq; tempore nunciis, Regi profiteãtur: hancq; adeò vnam, nec aliam, tollendæ citationis & decreti rationem esse, sibi persuadeant. Illos non audiant, qui, dum res nouas moliuntur, omnia seditionibus, tumultibus, bellis deniq; ciuilibus complerì cupiant. Meminerint potius, à quibus vrbem suam primum conditam, deinde, ex impotenti quorundam dominatu ereptam, postremò etiam magnis opibus ac libertatibus auctam ac cumulatam accepissent. Secum igitur potius, qui eos fratrum planè coniunctissimorum loco habeant, quàm cum externis & alienis, consilia sua miscerent: exercitum aduersus Regem & rempub. ex externo milite comparatũ dimitterent: portas vrbis aperirent: tormenta & præsidia de mœnibus ciuitatis deducerent: Regi

 offenso

offenſo ſatisfacerent. Id niſi fecerint,tum ſe quidem & læſæ crimen maieſtatis palàm incurriſſe, & non obſcurè Regem ipſum iratum habituros eſſe intelligerent: cuius Regis hactenus ſingularem erga ſe clementiam & animi moderationem perſpexiſſent. Sin ductum auctoritatemq́ꝫ Senatus ſecuti fuerint, nec in tantis Senatus vniuerſi ſtudiis, deeſſe ſibi ipſi voluerint, nullis deinceps ciuitatis illius honeſtis rationibus, Senatum eſſe vnquam & priuatim & publicè defuturum. Nunc etiam ne quid ad Regis adeundi ſecuritatem deeſſe fortè ipſis videatur, litteras regias fidei publicæ, ad ipſos vnà cum his litteris mittere. Damna à militibus regiis vrbi ipſi vrbiſq́ꝫ prædiis interim data eſſe quod quererentur, etſi id quidem merito ferè illorum contigiſſe videri poſſet, ſi quid eiuſmodi iis contigiſſet, qui animis ad rebellionem concitatis, arma aduerſus Regem regnumq́ꝫ ipſum ſumpſiſſe videantur, tamen ſi quid eiuſmodi eſt, id certè neqꝫ iuſſu Regis factum eſſe, qui vim omnem militibus ſuis ſeueriſſimè interdixerit; neqꝫ ſe adeò factum velle, qui ciuitati ipſi omnia benignè admodum cupiant; neqꝫ ſcire etiam, qui interea aliis rebus, pro officio ſuo erga rempub. vaca-

vacarent. Daturos tamen operam, vt ſi qua damna illata ipſis eſſe conſtiterit, omnia abundè repoſitum iri, omnibus poſſit apparere: dummodo ipſi quoqꝫ, quod in ſe eſt, dederint operam, vt ipſos Regis Poloni maieſtatem re ipſa agnoſcere, ab omnibus hominibus poſſit iudicari. Quis eſt, qui iis eiuſmodi cõmemorandis rebus, quantumuis ægrum animum ſanari poſſe non exiſtimet? Ea tunc tamen omnia, obſtructis non magis auribus quàm mentibus, fruſtra canebantur. Duobus enim prope ſolum verbis Senatui reſpondent: illum autem, quo tunc Senatus pro tabellario, in deferendis litteris vtebatur, iuuenem ex Andr. Opalenii Marſalci regni familia, reperti ſunt, qui lapidibus abeuntem peterent, & infeſtis clamoribus, ad portam vſqꝫ vrbis proſequerentur. Quid igitur Rex faceret? Ille verò, cum videret, veteribus ferendis iniuriis nouas indies inuitari, eos qui iudicio etiam comperendinato ſiſtere ſe noluerũt, perduelles tandem decreto ſuo pronunciauit: id autem eſt, qui rebus omnibus rebelles ſe ipſi præbuiſſent, tales eſſe oſtendit omnibus atqꝫ declarauit. Quod cum Mariæburgi peregiſſet, Thorunium reuerti conſtituit. Verum vt per eam occaſionem,

nem, Prussiæ loca quàm posset plurima lustra-ret, tum ne iisdem illis, ad quos proximè Mariæ-burgum proficiscens diuerterat, iteratam conqui-rendi commeatus molestiam crearet, commuta-tis aliquantum itineribus vti voluit. Traiectis igitur ad Mariæburgum Nogato & Vistula, Dersouiam, quæ est quasi ad radices posita Mi-noris insulæ, peruenit. Minorē insulam ad si-militudinem maioris, videntur eius loci accolæ appellasse. Cum enim Maiorem insulam, ipsum quasi Vistulæ diuortium complexu suo efficiat, factum est, vt locus, qui huic Insulæ esset pro-pemodū ex aduerso oppositus, is diuersis, neq; ta-men his ipsis vndiq;, vt oportuit, inclusus flumini-bus, similitudine modò quadam superioris, In-sulæ quoq; appellationem sortiretur: & qui-dem Minoris, ad discrimen proculdubiò Ma-ioris, quæ ex eo nomen est consecuta, quòd, quanquam vtræq; Insulæ oualem obtinere figu-ram videantur, ipsa tamen Maior sit profectò Minore amplior. Atq; illius quidem, quod di-xi, diuortii, pars ea, quæ ad orientem vergit, quoniam pedis diuaricati instar obtinet, No-gati nomine est appellata, quòd pedem nostri Nogam vocent: altera pars quæ occidentalis

est,

est, Vistulæ appellationem retinet. Vtraq; de-inde diuortii pars orientem versus inflectitur: vtraq;, vt dixi, insulam Maiorem efficit: vtraq; in Habum lacum ostiis duobus influit, & inde cū aliis plerisq;, eodem illo lacu receptis amnibus, in mare defertur. Atq; hæc quidem de Maiori Insula. Minorem autem Insulam hæc flumina constituunt. Primum idem ille qui Maiorem, Vistula, sed altero illo latere occidentaliore: deinde Leniuca; qui ita dicitur, quòd in eo a-qua, à naturali ipso Vistulæ alueo, Gedanum versus, studio atq; opera hominum deflexa atq; deriuata, lentius ferè defluat ac delabatur: tum his quasi duobus ex aduerso oppositus Motlaua ipse, quem euomere videntur paludes, à Dersoui-æ campis ipsis non procul restagnantes, atq; ita exortū propellunt sensim ac deferunt Gedanum vsque. Quo quidem in loco, Leniuca ipse eidem commistus, & in ipsius nomen degenerans, vnà cum eo in mare demergitur. Sed Minor hæc ta-men Insula ad eas tantū metas protenditur, quæ consistunt ad ipsum Leniucæ & Motlauæ con-fluentem. In vtraq; earum, de quibus dixi, insularum, omnia ferè olim fuerant paludosa, ideoq; & transeuntibus minus peruia, & ipsis

quoq;

quoq; arationibus prorsus inepta: nunc tamen cultura & studio hominum ita reddita sunt fertilia, vt vbertate glebæ, quod ad segetem quidem effundendam attinet, nulli in toto terrarum orbe prouinciæ cedere videantur. Siccatis enim per actas fossas paludibus, omnis illa limosi loci fœditas abscessit, & pinguis ac fœcundi soli facies euestigio apparuit. Vnus in tanta felicitate, repertæ, seu potius effectæ, soli bonitatis, ille metus inerat, ne segetes fortè enatæ, exundantibus, vt fit, & accliuiores eo loci ripas facile superantibus aquis Vistulæ, assiduè obruerentur. Qua animaduersa re accolæ ipsi, qui arationibus vtramq; insulam exercebant, alueum ipsum fluminis muniendum, & aquarum vim coërcendam sibi esse ab vtroq; Vistulæ latere, sumptu & opere maximo existimauerunt. Obiectæ sunt igitur ab vtraq; ripa, & furori atq; libidini fluminis oppositæ moles maximæ manu factæ, & longius productæ, argilla & robore plurimo aggesto, ac in valli speciem firmato, quæ aquas excrescentes arceant, & quasi intra alueum cogant. Quibus perfectis, ita deinde auctæ sunt, ipsorum quoq; colonorum opes, siue pecudum, siue adeò illius etiam, quæ à pecudibus

nomen

nomen accepit, pecuniæ modo, siue deniq; ipsorum ædificiorum ac villarum amplitudine, ac nitore, vt nulla vspiam terra maiores opes maioremq; elegantiam, in simili hominum genere queat ostentare. Itaq; alteram quidem ripam, quæ spectat Maiorem insulam, tueri videntur Mariæburgenses. Est enim Maior insula regiæ ditionis. Alteram, quæ est Minoris insulæ, tuentur Gedanenses ipsi, quorum ditione tunc temporis, cum hi tumultus gliscere inciperent, minor insula tenebatur. In qua sanè illi insula, nacti maximè, quod illic ne nunc quidē etiam difficile est, loca limosa atq; palustria, ipsoq; adeò Vistulæ latere permunita, excitatis præterea opportunè tum fossarum, tum vallorum munitionibus, tormentisq; ipsis per loca dispositis, copias illas ex vrbe, vt dixi, eductas, ibi quasi in insidiis collocant. Exploratum siquidem habebant, plerosq; ex comitatu regio, cōmoditatem hospitiorum consectantes, in vlteriores pagos dispartitos, paulò à suis longius, ad ipsas autem munitiones eorum propius fortè fortuna accessisse. Itaq; equos iumentaq; eorum inuadentes, pleraq; globis traiecta pixidariis leto dabant, ipsosq; illos, qui eo loci pacati consederant,

metu

metu illo ac terrore iterum atq; iterum inferen-
do exagitabant. Quorum damnis ac detrimen-
tis commotus Rex, qui altero etiam die Derso-
uiæ commorabatur: quod Regem læsa toties
patientia iritatum, & dignitatis suæ bene memo-
rem facere oportebat, id nihil cunctatus, haud
impiger fecit. Præmissis enim noctu exiguis au-
licorum suorum copiis, qui eos armis ostentan-
dis diuexarent, & metu impressionum suarum
fatigarent, tum deinde, per auersam partem, pa-
lustrè & satis impeditam, (quam illi itidem per-
munitam minori militū præsidio defendebant)
aliquot turmas equitum, & cohortem peditum
immisit, hostemq; ipsum, repentina illa & mini-
mè expectata incursione turbauit: atq; ita dua-
bus inde ex partibus actius turbatis ipsis instan-
do, & munitiones ipsas cœpit, & perduellium
illas copias partim contriuit, partim tormentis
omnibus exutas, in vrbem ex agris illis eorum
latrocinio infestis ꝓpere redire cōegit. Ex iis qui
per auersam partem ingressi erant, duo tantum
vulnerati fuisse memorantur, Ernestus Vaierus,
præfectus cohortis Germanicæ, & Vlodimirus,
qui ex Moscouia pridem Sigismundi Augusti
Regis temporibus in Poloniam venerat: quan-
quam

quam ea res neutri planè illorum magno admo-
dum incommodo fuit. Ex aulico autem comi-
tatu, Marc. Sobescius nobilis Polonus est vul-
neratus, vulnere sæuo quidem illo, sed minimè
letali quoq;. Hungari in vniuersum quatuor
ferè periere: tres quidem ictu glandium plum-
bearum, Gregor. Galadius, & Petr. genere
Triballus. nam tertius cum nomine ipso occu-
buit: sicut & quartus, quem palus limosa eo loci
fœdè absorpsisse dicitur. Inter aulicas quidem
copias, insignis fuit Ioan. Comitis Tencinii per-
antiqua Topororū familia, Castellani Voinicen.
& Andr. Opalinii regni Marsalci, duorum Se-
natorum promtus atq; expeditus ad arma ani-
mus: quorum ille, quoad opus fuerat, nihil præ-
termisit, quod ad inferendum hostibus metum
pertinere videbatur, hic autem cum ab altera
iam munitionum parte pelli hostes ipsos vide-
ret, nihil cunctatus, per fossam ingentem & hor-
roris plenā, equo adacto calcaribus, transilire ad
eos cū periculo non dubitauit. Rex cōfecto præ
lio, possessiones ac prædia quædā à trepidantibus
derelicta, inter quæ Grebinum & Nasouum oc-
cupauit. Cumq; eò pergeret, atq; in tumulos cæ-
sorum forte fortuna incideret, illachrymasse

 communi

communi hominum miseriæ, & illorum hominum amentiæ perhibetur: cæsorumq; corpora extremis honoribus afficere euestigiò iussisse dicitur. Atq; etiam illo ipso tempore, vrbem ipsam, miserandum, vt ferebatur, in modum perculsam atq; consternatam, cum apertissima clementiæ suæ significatione confirmare cuperet, tubicinem misit, qui ciuitati benigna omnia & paterna, nomine ipsius polliceretur, si modò leuibus illis primi prælii detrimentis acceptis, resipiscere, & maiestatem illius tandem agnoscere velle viderentur. Qui regis mandatis expositis, ad eaq; litteris Gedanensium receptis, tum Regi fit obuius, cum is, vrbis ipsius ex proximo speculandæ studio, sub mœnia propemodũ ipsa successisset. Agebant illi his litteris idem illud quod semper, se præter culpam his calamitatibus premi, quæ ab iis, qui saluis priuilegiis subiectionem non recusent, meritò esse deberent alienæ. De quibus ipsis quòd ne queri quidem per nuncios apud Regem liceret, orabant, vt iis omnibus, ex benignitate ipsius primo quoq; tempore consuleretur. Verisimile iam tum erat, ex animo rem agi, ab hominibus infelici illo casu, ad Regis subiectionem tandem aliquando

eruditis: hoc etiam verisimilius, quòd sermo iam ipse litterarum suarum aliquanto humilior, & cum ad eorum vitæ conditionem, tum ad regiæ personæ dignitatem accommodatior audiebatur. Datæ igitur fidei publicæ litteræ, quibus, quoniam propter breuitatem temporis (nam in quatriduum tantum conceptæ erant) vsi non fuerunt, facilè prorogationem earum impetrarunt. Sub idem tempus, suburbia duo, Sotlandum primũ, quod est vrbi ipsi planè contiguum, deinde Stolcembergum, in ipsa editioris vrbiq; imminentis montis crepidine situm, vtraq; ad ditionem Episcopi Vladislauieñ. pertinentia, iniectis ad signum ex vrbe datum ignibus incendunt: vel domini ipsius odio, vel rerum certe suarum necessitate, ne quod videlicet vrbi periculum, ex vicinis alienæ ditionis domibus, bello vigente, creari posse videretur. Dies salui conductus prorogati cum aduenisset, legati ab eis veniunt: conformem quodammodo & perpetuo ciuitatis officio, & præsenti tum illi fortunæ ac conditioni suæ, orationem habent: Regi dignitatem regiam gratulantur, eamq; bene ac feliciter tum ipsi illi, tum reipub. euenire optant: non missos ad illud vsq; tempus ad ipsum

pſum legatos, quà poſsunt excuſant: metum ex terroribus belli, obſeſsisq; circumcirca itineribus, pro cauſa adferunt: ſuſpicionem ex verbis in formula iurisiurandi appoſitis, de iuris communis exceptione, de qua ſuperius eſt dictum, iterant; diploma confirmationis priuilegiorum & libertatum ſuarum, ad exemplum diplomatis D. Sigismundi Regis petunt: decretum perduellionis proxime aduerſus eos latum aboleri poſtulant: à petitione etiam ſua ſuperiore, de iureiurando Regis prius exigendo, deſiſtere ſe ſignificant; ſi modò iis caueatur, ſacramento Cracouiæ per Regem edito iuribus ciuitatis nihil derogari; & deniq; ſi ita Regi videretur, mitti nonnullos ex Senatu ipſo poſcũt, qui onera, quibus preſsi ac grauati eſsent, auctoritate publica ab ipſis dimouerent, & ciuitatem optatæ libertati reſtituerent: ſe quidẽ ad ſubiectionem & omne inſeruiendi genus paratos eſse, verbis oſtendunt. Non nihil de primo illo ardenti, atq; ad perniciem præcipiti eorum impetu detractum proxima illa calamitate videbatur. Itaq; etſi nondum planè, qui aut ipſi eſsent, aut cum quo rem haberent, ſatis intelligerent, tamen quòd à pertinacia quorundam vtique po-

ſtulato-

ſtulatorum ſuorum nonnihil diſceſsiſse iam viderentur, poſtridie reſponſum à Rege æquitatis pleniſsimum in eas conditiones tulerunt. Militem ex vrbe & prouincia dimitterent: quando ipſe quoq; Rex, vbi id ab eis factum eſse viderit, ſuum eſset non inuitus exercitum deducturus. Iusiurandum fidelitatis darent: ſic enim Regem quoque ipſum iurium ac priuilegiorum eorum confirmationem minimè ipſis eſse negaturum. Externos, qui in verba Regis iurare noluerint, vrbe ſua ſummouerent. Thoruniũm ad comitia regni, quæ iam tum in proximo eſsent, venirent, ibique ſupplices à Rege veniam deprecarentur. Id ſi fecerint, Regem, decretum perduellionis legitimis rationibus eſse ſublaturum, & onera deniq; illa, quibus vrbem ſuam iniquè & præter fas grauatam eſse liquidò poſsent oſtendere, eſse ab eorum ceruicibus detracturum. Hoc reſponſo accepto legati diſcedunt, & in vrbem ad ſuos reuertuntur. Illi paulo pòſt, ſaluum conductum legatis mittendis prorogari poſtulant, nec difficulter obtinent: quòd Rex commodiſsima iam ſibi quæque de ipſis polliceri videretur. Et reuera nihil erat, quod cum aliqua ratione de conditionibus ab

Rege

Rege ſatis repudiaturi eſse viderentur. Sed maior nihilominus erat quàm par eſset, hominum arrogantium & innata ſuperbia inflatorum pertinacia; quanquam ea tamen, aſsimulata verborum male aptorum comitate contegeretur. Die igitur quinta Octobris veniunt, & ſcriptũ quoddam, ſuorum nomine Regi exhibent. Plauſtra verborum; rerum tamen omnium ſumma huc redibat. Ciuitatem ſuam militem non eſse dimiſsuram: non, ne ſi Rex quidem ſuum deducere voluerit. Peregrinis etiam vrbe non eſse interdicturam: non, ne iusiurandum quidem in Regis verba ab eis eſse exacturam. Iuramentum quoq; fidelitatis non aliter daturam, quàm firmiſsima recepta regia cautione, & libertatis ſuæ conſeruandæ, & onerum leuandorum; & omnino non aliter, quàm ſublato decreto contumaciæ, & offenſionum omnium memoria abolita. Non ſine vmbella quidem alicuius honeſtatis hæc omnia, ſed nec ſine aperto tamen indicio ſpiritus contumacis. Ad comitia etiam regni non miſsuram eſse ciuitatem: cum ea non ad vllum aliud, quàm ad conſiliariorum Pruſsiæ conſilium pertineat. Culpam deniq;, nullius ſcilicet facinoris conſciam, deprecaturam

non eſse, quòd eo deprecandi officio exiſtimationem ſuam non mediocriter attenuari exiſtimet: illud orare, ſi qua ſiniſtra de dictis factisue ſuis opinio Regis animum occupaſset, eam vt deponat atq; abiiciat. Tantum non addiderũt. Id vt faciat, etiamſi omnia hoſtilium animorum indicia à ſe in ipſum aſsiduè proficiſci appareat. Et tamen his omnibus nulla ferè frontis ſignificatione propoſitis rebus, ſperare ſe oſtendebant, (non enim dico, poſtulabant, cum reuera non poſtularent,) vt & onera ciuitatis, quæ necdum etiam ſatis exponerent, tollerentur, & decretum rebellionis nuper capiti ſuo irrogatum vt aboleretur. Atq; hæc quidem de ſcripto. Scriptum deinde ipſum tam inflatum nihilo humaniore ſermone proſequuntur. Vt exempla tria litterarum regiarum, vnum declarationis, quæ Cracouienſe Regis iusiurandũ, ad terras quoq; Pruſsiæ & ad ciuitatem eorum extenderet: alterum confirmationis priuilegiorum; tertium cautionis de oneribus quibuſdã à ciuitate tollẽdis, ſibi ederentur: ſe ea exẽpla in vrbem delaturos, vt à populo & cognoſcãtur plenius, & pro arbitrio conformentur. Et vt omnia tanto minore negocio infecta redderent, libertatem quoque Auguſta-

næ in religione profeſsionis, quæ alioqui, etiam ante Regis in Poloniam aduentum, confœderatione ipſa publica plus ſatis ſancita iam erat, iis rebus omnibus admiſcent, eamq; ſibi conſeruari nominatim flagitant: vt ſi nihil aliud, ſaltem Regi ipſi, his eiusmodi rebus temere inculcandis faſtidium pariant. Ad extremum autem, illum deniq; aculeum emittunt, & Regis ipſius animo infigunt, quem aculeum non ratio ſed furor, mente hominum ſeditioſiſsimorum dudum conceptus, ſuggeſsiſse, non neceſsitas etiam, ſed libido & arrogantia expreſsiſse, ac per ora eorum effudiſse videri poterat: illum dico aculeum, cum ſemper aliàs infauſtum, tum in ipſis regni atq; imperii primordiis, non ſolum importunum, ſed etiam planè ominoſum, vt tabellis obſignatis teſtaretur Rex, ſe, ſi quid modò aduerſus iura eorum cõmiſiſse vnquam videretur, iam tum eos à vinculo iurisiurandi, quo ſibi, vti ſummo magiſtratui, obſtricti & obligati eſsent, planè ſoluere, & regium ꝓpemodum nomen, ipſis volentibus ac iubentibus abdicare. Quibus rebus incenſus & cõmotus Rex, vti meritò in tãta & tam aperta dignitatis ſuæ contumelia debuit, reſponſum iis à Procancellario, Ioan. Sario Zamo-

Zamoſcio, viro acuto, & in eiusmodi tractandis ingeniis inprimis exercitato, dari iubet. Quo quidem in reſponſo, commemoratis, quantum ſatis erat, omnibus illis, quæ ad demonſtrandam, ab hac quidem parte Gedanenſium apertam rebellionem, nec nimis obſcurum extrahendarum rerum & Regis differendi ſtudium, ab altera autem, ſummam ipſius æquanimitatem, & erga Gedanenſes facilitatem atq; clementiam ſingularem, pertinere ſunt viſa, (quæ vtraque, commemorandis his, quæ hactenus vtrinque geſta erant, ſatis apparebant) omnium poſtulatorum Gedanenſium iniquitas oſtenditur, & mala eorum mens, malusq; animus, multis verbis arguitur. Exprobrantur pleraq; eorum, ruptæ fidei, ſeditionis ciuilis concitatæ, impietatis etiam in Deum ſusceptæ, edita indicia: dum Regis ſui maieſtatem conculcant: dum Senatus regni conſilia repudiant, alienorum & externorum, & regno infenſorum hominum vltrò terra, mariq; conquirunt: dum exercitum externum in viſcera reipub. adducunt: dum Regis legatos eorumq; comites & familiares violant: dum templa ritus catholici in ipſa vrbe expoliant: dum ſacerdotes aliquot intra vrbem, ſcelere nefario truci-

trucidant: dum denique suburbana duo Episcopi Vladislauieensis manibus ad omnem audaciam instructis, incendunt. Atq; his quidem omnibus rectè atq; ordine explicatis exaggeratisq; rebus, illo denique fini responsum ipsum ad extremum pertexitur. Fato ipso Gedanenses vrgeri: Regem, deos hominesq; testari, se, qui nec ipsorum, nec Christiani hominis cuiusquam, sanguinem vnquam studio ac voluntate sua appetisset, necessariò ad sumendas hoc tempore de contumacibus & seditiosis ac impiis ciuibus pœnas, inuitum iterum accingi. Confidere, Deum ipsum, & fidei, & regiæ ac reipub. maiestatis, & ciuilis inter homines cõiunctionis, & templorum denique suorum violatorum vindicem acerrimum, pientissimis, & maximè necessariis conatibus suis esse affuturum. Nec sanè eum fefellit opinio, vel potius certa in Deum concepta eiusmodi animi fiducia. Cum enim illi, rebus suis terra desperatis, aqua etiam ipsa, suam vrbisq; fortunam tentare conarentur, quinque naues speculatorias, Bergantinas vocant, remige, milite, bombardis etiam instructas maioribus, mox in Istulam fluuium deducunt, & aduerso amni agunt; hoc quidem consilio, vt damna, non

non ita pridem in Minori sua insula à regiis acceptа, in Maiore insula, quæ vicina Mariæburgo, ad eius, vt dixi, arcis regiæ, & inprimis permunitæ ditionem pertinet, hoc modo compensarent, ac vlciscerentur. Verum hic quoq; in aqua, non minus quàm in arido nuper, iratum infensumq; Deum habuerunt. Fracto enim, virtute industriaque regiorum, & decusso Prætorianæ nauis malo, statim in potestatem eorum deuenerunt: adeoq; naues illas omnes, & bombardas maiores XXV. amiserunt. Nec multo pòst rursus, cum & terra, pedestribus copiis, & aqua simul, tribus aliis ornatis instructisq;, & in eundem illum Istulæ locum deductis, eiusdemmodi nauibus, contractam superioribus præliis ignominiam delere frustra conati essent, eandem vtrobiq; fortunam, rebus suis aduersissimam, regi regiisq; satis propitiam sunt experti. Quibus quidem in præliis omnibus, & fides, animusq; in Regem suum Polonorum, & Hungarorum item bellicus ardor, mirificè enituit: præ ceteris autem nauali ipso prælio, cum vtraq; gens, partitis quasi de industria inter se vltra citraq;, ripis ipsis fluminis, quibus tum fortè adstiterat, ita de gloria militari videtur certauisse, vt Gedanicus miles

 ille

ille qui nauigabat, pilæ lusoriæ instar, nunc à Polono animosè repelli, nunc in Hungarum misero fato incidere, & huc illucq; per amnem oberrans, mortem non victoriam, exitum de vita, non receptum vllum aut perfugium miseriarum, quærere videretur. Tanta enim erat inter eos trepidatio, tantus pauor, tanta animorum consternatio, vt plerique, & in his dux ipse infelicium illarum copiarum, misera rerum omnium desperatione, vltro sibi mortem, non tam ferro adacto, quàm sponte haustis toto corpore aquarum gurgitibus, consciuisse perhiberentur. Insignis ante alios species fuit Andreæ Hungari, regio Batori in Transyluania oppido oriundi, cum is pedes flumen ipsum ingressus, signum, quod à Tribuno traditum gerebat, altius etiam quàm pro prælii vsu sublatum, magno animo in hostem, nulla vi fluminis exterritus inferebat; & ceteris quidem, hostium corpora sternere permittebat, sibi animorum hostilium domandorum prouinciam extra ordinem desumebat. Iam tum post primam illam naualem feliciter à suis confectam pugnam, Rex locis circumcirca diligenter lustratis, & quoad fieri potuit, ratione militari prouisis, copiisq; suis omnibus Ioan. Sboro-

Sborouii Gnesnensis Castellani, præfecturæ cõmendatis, viri maximo animo, & ingenio planè militari prædití, qui tunc fortè aulicarum copiarum ducis munus & titulum, post Stanisl. Sarium Zamoscium Castellanũ Chelmeñ. obtinebat, Grebino discesserat: vt Thorunium, quò comitia omnium regni sui ordinum ad diem D. Francisco sacrum indixerat, primo quoq; tempore perueniret. Quòd enim ipso Grebini cõmorante, & Gedanensium negociis occupato, dies comitiis ipsis præstituta, iam esset præterlapsa, iccirco maiorem sibi eò properandi necessitatẽ imponi arbitrabatur. Gedanenses interim acerbitatem responsi Grebinensis, queribundis litterarum etiam duplicatarum sermonibus lamentari, tum apud ipsos terrarum Prussiæ ordines, tum verò apud Senatum quoq; regni, & ipsos equestris ordinis legatos, quos Thoruniũ ad comitia conuenisse fama acceperant. Regi etiam per litteras supplicare, benignius secum aliquanto agere, & vel legatos suos, rebus ac rationibus ciuitatis in re præsenti inspiciundis, ad ipsos mittere, vel ipsorum certè legatis ad se mittendis securitatem publicam cõcedere velit atq; iubeat. Rex Thorunium cum venisset, postridie Senatum

tum aduocauit: de quorum consilio, prouisis iis & præparatis rebus, quæ ad rectam imminentium comitiorum gubernationem pertinerent, statim die insequenti comitia ipsa, maiorum more, litatò est auspicatus. In quibus, cum inter cetera, de his omnibus, quæ per id tempus, susceptis cum Gedanensibus tractationibus interuenerant, ad Senatum & ordines regni sui copiosè retulisset, dictæ sunt à patribus grauissimæ acerrimæq; sententiæ. Nemo enim ferè erat in Senatu illo, qui tum sanè aderat frequentissimus, qui hac tanta Gedanensium, primò aduersus Regem suum arrogantia, deinde rationum ciuitatis rectè administrandarum inscitia, &, quod vtrumque horum necessariò consequebatur, aperto & insigni ciuitatis ipsius incommodo, ad quod, imperitia & malignitate adducta esset gubernatorum suorum, non vehementius cōmoueri videretur. Aderant tum Thorunii Gedanensium quidam, quos ciuitas illa ad comitia, verbo, fidei publicæ Internunciis impetrandæ, re, omnium quæ interea agerentur perscrutandorum gratia ablegarat. Quorum sanè vultus habitusq; demissus, & sermo denique varius, ac ad omnem temporum hominumque conditionis oppor-

opportunitatem compositus etsi non paucos priuatim transuersos agere videbatur, quorū illi, plerosq; misericordia frustratæ Cæsarianæ electionis, alios societate Augustanæ in religione opinionis, nonnullos etiam fortassis vel blandè ac suppliciter appellando, vel largè denique ac liberaliter prensando, ad fortunæ suæ commiserationem pertrahebant: in vniuersum tamen causa illorum, magna, tum clausæ vrbis regiæ, tum emissi aliquoties extra vrbem infesti militis, tum præterea male acceptorum intra vrbem, quorundam innocentiū hominum, tum verò maximè suspectorum reipub. consiliorum cum externis communicatorum, inuidia admodum premebatur. Leges erant in proximè superioribus binis comitiis per nobilitatem latæ, aduersæ quodammodo inter se atq; contrariæ. Altera in electione Henrichi Regis ad Camonum: qua prouinciales ipsi nobilitatis exercitus, quæ ternis restium, vt vocant, litteris ad arma solet per Regem euocari, diuidi ac separari vetabantur. Altera, in Stephani ipsius Regis inauguratione Cracouiensi: qua, ad rebellium, si qui essent, motus atq; seditiones domesticas propere comprimendas, vicinorum tantum Palatinatuum militares excire copias,

 nullis

nullis remotiorum Palatinatuum auxiliis accer-
sitis, Regi permittebatur. Cum igitur de Geda-
nensibus rebellibus ad officium adducendis atq;
etiam cogendis, si opus sit, in consilio ageretur,
multa in vtramq; partem, comparandis inter se
vtrisq; his legibus contentiosè propemodum dis-
serebantur. Cumq; adeò plurima in hoc genere
vltro citroq; dicta essent, eò tandem res rediit,
vt rebellionem eorum bello persequendam ar-
misq; reprimendam esse omnes existimarent: i-
ta tamen, vt, quoniam per suos & queri lamen-
tabiliter, & humiliter planè supplicare, vbi modò
opportunè possent, videbantur, locus iis veniæ,
vt primum resipiscerent, & moderatioribus ac
quietioribus consiliis vterentur, relictus apud
Regem esse videretur. Lubet igitur ante omnia
experiri, ecquid ipsi per se salutis viam vllam ini-
re velint, tum ecquid aliis saltem vocantibus, &
certum atq; expeditũ iter ad salutem monstran-
tibus parere sustineant. Igitur die primum XVII.
Nouembr. publica iis data est fides, quæ ita per-
scribebatur, vt, si pacata ciuitate militem interea
dimittant, & culpæ deprecandæ gratia supplices
Regem adeant, tutò reliquas pacis tractationes
cum Rege suscipere, & quoties commodum sit,
domos

domos suas remigrare libere queant. Atq; huic
quidem rei principiò dies duodecim præstituun-
tur, mox tres etiam præterea adduntur: sic vt
per Nouembrem totum, securitate optata frue-
rentur. Quæ quidem Regis rescripta per eosdem
illos, quos eo nomine à Gedanensibus missos fu-
isse ad comitia diximus, accepta cum essent,
Gedanum deferuntur: vt ita quæ saluti ciuitati
essent, à ciuibus ipsis nullo extraneo interuenien-
te monitore exciperentur. Tum deinde datur e-
tiam facultas duobus duarum aliarum ciuita-
tum postulantium Consulibus, Thorunẽsi alteri,
alteri Elbingensi, alloquendi libere ciuitatẽ Ge-
danẽsem; si fortè, vbi per se ipsa non saperet, alio-
rum sermonibus ad mẽtem traducta saniorem,
maiestati Regis ipsius, ebrios hactenus, siue diu-
turna rerum prosperitate, siue adeò inflatis suis
cogitationibus animos, tandẽ, vt subditos dece-
ret, summittere velle videretur. Quod vtrumq;
hoc etiam facilius concessum est, quòd ciuitas i-
psa Gedanensis tum temporis, (mortuo vide-
licet illis ipsis diebus Maximiliano Cæsare, cu-
ius partibus hucusq; ambitiosius, vt videbatur,
fouendis, omnem ꝓpemodum perduellionis cul-
pam honestiore quodammodo nomine præte-
xebat)

xebat) ſubſcribendis ſuis ad Regem litteris, ſubditorum vocabulum, à quo hactenus planè abſtinebat, adſcribere incœpiſset. Itur ergo Gedanum, maxima ſpe duarum Pruſsiæ primariarum & Gedano amicarum, iuriſq; ac ſtudiorum communione deuinctarum ciuitatum, de ſananda tertia, quæ quo magis parua illa, vt diximus, initia, ad tantam temporis illius opum atq; potentiæ amplitudinem perduxerat, hoc periculoſius omnino ægrotabat. Verũ dum ea ciuitatum legatio Gedanum proficiſcitur, fortè incidit in obuios Internuncios Gedanẽſes, qui cum poſtulatis ſuæ ciuitatis ad ea quæ per Regem proximè propoſita fuerant, ad Regem contendebant. Quos dum illi in vrbem ſecum retrahere conarentur, integrum ſibi non eſse reſpondebant: excuſatione vſi, quòd Moſcho in Liuoniam irrumpente, (qua de re certò compertum ſe habere affirmabant) vererentur, ne comitia regni primo quoque tempore ſoluerentur. Vtriq; igitur cœptum iter proſequuntur, hi ad Regem, vt dictum eſt, illi verò Gedanum rectà, ſed ſpe iam extenuata. Quam etiam eorum animi præſenſionem ipſe quoq; legationis exitus comprobauit. Nihil enim planè profectum eſt, apud animos

nimos obſtinatos, & omnia in eos Internuncios reiicientes, quos ſe paulò antè ad Regem, iiſdem de rebus illis, amandaſse profitebantur. Erant autem qui tum à Gedanenſibus amandabantur, Conſtant. Ferberus, & Georg. Roſembergius, viri in conſulatu eorum facile principes: quibus comes legationis adiungebatur Henrichus Lemcha Syndicus ciuitatis. Hi Thorunium cũ ueniſsent, quoniam nec ipſi priuatim ſuis nominibus iusiurandum ſubiectionis Regi dediſsent, & necdum eius ſpem certam aliquam publicè à ciuitate afferrent, in Regis conſpectum admiſsi non fuerunt: legationem tamen illam apud virum optimum, & ſingularem quandam animi libertatem vultu præferentem, Andr. Opalinium regni Marſalcum, qui publico cõſilio erat ad eam rem deſignatus, obiuerũt: vbi obiuiſsent, in hoſpitio cuſtodibus adhibitis, continere ſe ſunt iuſsi. Qui cum ante omnia à Marſalco regni rogarentur, vtrumne conditionibus in ſalui conductus regii litteris appoſitis ſatisfeciſsent, reſpondebant, difficultatem conditionum latarũ, & temporis ipſius anguſtiam in cauſa fuiſse, quominus ſatisfacere hactenus potuerint. Nam militis quidem dimiſsionem quod attineret: cum aliis mili-

tibus dies conductorum stipendiorum nondum decurrisset, aliis autem quoq; præterea, noua stipēdia recentissimo tēpore condicta essent, quorum etsi dies iam cedat, nondum tamen venerit, fieri necessariò, vt neq; eos quos habeant, tam citò dimittere, nec nouos præterea ac recentes aduentantes, vrbe arcere posse videantur: daturos tamen operam, vt & illos veteres decursis statim stipendiis dimittant, & ad noua merenda stipendia alios deinde non accersant, si modo ex aduerso militem quoq; suæ prouinciæ vastatorem abduci ex prouincia viderint. De deprecatione autem cum quærerētur, functos se esse deprecatione asserebant, scriptis ad Regem, summa cum animi demissione litteris: orare, vt in iis ipsis litteris acquiescat, nec deprecationem aliam à ciuitate requirat. Interim autem & iura illorum confirmet, & ea quibus premitur, ciuitas (quæ cuiusmodi sint, postea suo tempore explanaturos esse) è medio tollat, proscriptionisq; decretum ipsum aboleat. Ni faciat verendum esse, ne. Atque hic tum nescio quid eiusmodi Germanicè effati sunt, (ea enim lingua legationem peragebant) quod postea à peritis eius linguæ expositum, ita ad Regem perlatum

tum est, quasi ii verendum esse dixissent, ne ea res occasionem præbeat, multorum consiliis & re absurdis, & exitu calamitosis, propterea ineundis. Quæ quidem cum in Senatu ad eum modum referrentur, grauiter sanè, vt oportuit, & acerbis omnium Senatorum, etiam eorum, qui ipsorum partibus fauere antea videbantur, animis accepta sunt. Non modò iam enim regia gratia & clementia, sed etiam securitate quoq; ipsa publica palàm abusi videbantur: quæ in quas conditiones data illis ac præscripta erat, iis se ipsi conditionibus non stare planè fatebantur. Tum autem in leges ipsas publicas apertissime delinquebant, quæ vetant, non priuatis magis quàm Regi ipsi, militem externum, nisi publico consilio, in rempub. adducere. Itaq; perrogatis omnium sententiis, decretum est, vt litteræ restium, quod in omnibus ferè tumultibus vsurpari consueuit, per regnum dimittantur, & ad præfectos item ac possessores bonorum regiorum diligenter perscribatur, vt cum his copiis ad manum quas haberent, præsto essent Regi. Atq; his quidem ita constitutis, cum viderent terratum Prussiæ consiliarii, res Gedanensium eò sensim ac paulatim deduci, quò ipsi

minimè omnium cuperent, colloquium sibi cum Internunciis eorum permitti postulant: & quoniam bellum aduersus ipsos in eam conditionem decretum erat, vt iis tamen omnis aditus ad Regis gratiam patere semper debuerit, impetrant. Vbi igitur quantum satis esset collocuti viderentur, in Senatum post aliquot dies veniunt, & quæ sermonibus vltro citroq; cedendis percepissent, referunt. Ac referunt quidem omnia commoda, nonnulla verò etiam optata: in quibus illud quoq;. Si Internuncii ipsi benignius tractentur (querebantur enim se durius tractari ab iis, quibus custodia egressus eorum ex hospitiis fuit demandata) &, si potestas ipsis detur mittendarum ad ciuitatem suarum litterarum, perfecturos, vt ciuitas ipsa nihil honesti recuset, quod ad controuersias minuendas, Regisq; gratiam conciliandam pertinere videatur. His relatis, emolliri quadam ex parte rigor ille decreti paulò antè belli: vsq; adeò, vt nisi eum memoria proximi eorum responsi superbissimi in animis nonnullorum assiduè quasi recrudescens exacueret, & nisi tempus ipsum tam longum frustra iis impensum rebus, spem ipsam deinceps rectè conficiundi negocii præciderer, omnis

mnis propemodum vis decreti illius, Prussorum partibus eiusmodi interpositis, in irritum casura fuisse videretur. Mediam igitur viam secuti regni ordines, neq; aditum iis ad Regis gratiam intercludunt, quod vnum Prussi maximopere ꝓuidere videbantur, & tamen rursus arrogans illorum responsum, quod nuper admodum per sũmam superbiam effati essent, pluribus paulo interponẽdis conditionibus, coërcendum esse existimant: non facturi fortassis, nisi quòd eam rem ad maiorem causæ securitatem pertinere iudicarent. Iam tum enim ea causa longissimis, & ob easdem sæpius iteratas res molestissimis disputationibus, non solum nauseam omnibus fastidiumq; pepererat, sed etiam rem ipsam in infinitas quasdam suspiciones adduxerat. Eæ conditiones descriptæ cũ essent, (quæ cuiusmodi fuerint, paulo pòst dicemus) per Brestensem ipsum Palatinum legatis ipsis exhibentur. Illi verò bona spe concordiæ futuræ vultu ipso declarata, fidei publicæ, mittendis denuò ciuitatis legationibus litteras, quas confidentius iam postulare videbantur, non magno negocio impetrant, easq; conditionum pariter, & publicæ prorogatæ fidei litteras in vrbem mittunt. Ferbero ea pro-

ea prouincia cum Lemcha demandatur. Rosembergius legationis comes ad aulam subsistit. Atq; hæc ferè per totum Decembrem Thorunii agebantur: quibus ipsis diebus, ipsa etiam illa Thorunensia regni comitia sunt soluta. De quorum actionibus reliquis, quæ erant sanè & pondere graues, & numero infinitæ, non est nunc narrandi locus.

COMM. LIB. II.

Bibl. Jag.

1454.

Bibl. Jag.

BIBLIOTEKA
KÓRNICKA

Nabyłem wymianą z Bibl. Kórnickiej
28. IX. 1927 i darowałem Bibl. Jag.

KP.